
SYNESII
EPISCOPI
CYRENES
AD ARCADIUM
IMPERATOREM
LIBER,
DE REGNO BENE ADMINISTRANDO,

Stanislao Ilouio Polono Interprete,

AD AMPLISSIMUM, AC REVERENDUM. PETRUM MISCOVIUM.





Venetijs, Apud Baptiſtam Somaſcum.
M D LXIII.

AMPLISS. AC REVERENDO D. PETRO MISCOVIO, GNESNENSI, PLOCEN. LENCICIEN. PRAEPOSITO, ATQVE SVPREMO INVICTISS. REGIS POLONORVM SECRETARIO,

STANISLAVS ILOVIVS
S. D.



X his omnibus, Miscoui amplißime, qui de genere humano benè mereri student, illi primas mihi partes meritò tenere videntur, qui studium suum ad principes instituendos, atque erudiendos conferunt. nam si eorum animus ad officium & ad virtutem institutus & informatus fuerit, probè mehercule reliqua etiam omnia sese habebunt: sin minus, multis malis ac calamitatibus qui in ditione eorum sunt & imperio, afficiantur necesse est. vt enim capite agro totum corpus labascere solet, ita etiam principe, qui eorum quibus praeest veluti caput quoddam est, perperam informato, omnes sui vacillant. adde quòd prauis moribus principum infici solet

tota ciuitas, ſicuti emendari & corrigi bonis; quoniam quibus rebus hi ſeſe dedunt, iiſdem cæteri omnes, illorum exemplum imitati, tenentur. Hoc cum antiquißimi illi philoſophi intelligerent, omnem curam & diligentiam in eorum honeſta inſtitutione ponebant: proinde eorum alij in aulis regum verſabantur, vt ſuis eos præceptis & inſtitutis ornarent. quod à Platone, Antiſthene, & alijs quàmplurimis, factum eſſe accepimus: alij verò quibus integrum non erat principibus præſentibus operam dare, literarum monumentis, quæ illis uia & ratio in regendis populis eſſet ineunda, prodebant, vt Iſocrates, vt Theophraſtus, vt etiam hic noſter Syneſius: qui pontifex Cyrenenſium & ſi erat, multisq́ue & magnis negotijs diſtentus, ægregium tamen hunc librum περὶ βασιλείας *nobis ſcriptũ reliquit. in quem cum his liberalibus, quibus ſe homines ſtudioſi à literis grauioribus ad Muſas manſuetiores referre ſolent, incidiſſem, eaq́ue inſcriptione allectus auidißimè percurriſſem, difficile dictu eſt, quantum mihi eruditione, quantum prudentia ſatisfecerit. neque id fortaſſe iniuria. tanta enim in eius ſermone copia, tanta in præceptis de virtute dandis elucet grauitas, vt eum hoc in genere cæteris omnibus anteferre non*

dubitem

dubitem: non enim ille tetrarcham aliquem, aut regem, sed Romanorum ipsum imperatorem, in cuius regno & potestate, omnes totius Europæ, Africæ, & Asiæ populi erant; neque ethnicum principem, sed christianum Imperatorem suscepit instituendum, cuius propè imaginem nobis in hoc libro veluti in tabula quadam expressit. Quantum verò intersit inter regem qui veterum disciplina imbutus omnia ad gloriam, & ad opinionem hominum referat, & eum, qui more nostro omnia ad Christi doctrinam applicet, actionesq́ omnes suas pietate & religione metiatur, tu ipse optimè nosti, qui & veterum philosophorum, & nostrorum Theologorum scripta summa cum diligentia euoluisti. Mihi quidem hac imprimis de causa adeò probatus est Synesii hic liber, vt me tenere non potuerim, quin eum, quanquam obscurißimum & multis difficultatibus ad intelligendum impeditum, in Latinum sermonem transferrem: est enim adeò spinosa, adeò contracta eius oratio, vt non modò latinè commodè verti, sed vix intelligi aut percipi vel ab eruditißimis hominibus poßit. verùm cum me non præteriret, summam vtilitatem & laudem semper cum summo labore esse coniunctam, non

sum

ſum paſſus me ullis anguſtijs à ſententia meà deduci: quòd ita mecum ſtatuerem, qui in rebus honeſtis parandis, aut difficultati cedit, aut labore frangitur, nihil eum unquam præclarum, nihil laude dignum, efficere poſſe. Summo itaque ſtudio & diligentia adhibita, librum latinum feci, & quoniam eum ex uſu multis fore iudicaui, in lucem etiam protuli. Cur autem eum tuo clariſsimo nomini inſcripſerim, patere, obſecro, me paulò altius cauſam & rationem repetere. Ego Miſcoui optime, cum adhuc admodum adoleſcens Cracouiæ bonis literis inſtituerer, memini me tum ſæpius de virtutibus tuis varijs multos prædicantes audiſſe, qui cum ſingularem induſtriam tuam, incredibilem humanitatem, eximiam prudentiam in cœlum extuliſsent: te præterea doctrina, te ſcientia morum & uſu rerum, inter viros tui ordinis in quo tum eras, facile principem eſſe affirmabant. quo laudum tuarum præconio ita iam tum eram ad te obſeruandum & colendum incitatus, vt neminem mortalium pluris facerem, neminem diligentius quam te obſeruarem. nec ſane immeritò; ea eſt enim vis virtutis, vt etiam eos quos nunquam vidimus, ſuſpicere, ac in oculis ferre

cogamur

cogamur. quis enim eſt qui Ariſtidem ob iuſtitiam, qui Cimonem ob liberalitatem, qui Phocionem ob ſummum ſtudium in patriam, qui viri innumerabilibus propè ante nos ſeculis in Græcia floruerunt, non amet & laudet? inimicorum noſtrorum virtutes mediusfidius, non amplecti non poſſumus. Proinde non tibi mirum videri debet, ſi ego iam multis ab annis ob eximiam animi tui præſtantiam, tanti te fecerim, tantumq; obſeruauerim, quantum profectò, vel nullus vel omnino pauci. Sed dici tamen nõ poteſt, quanta acceßio hoc tempore facta ſit, ad priſtinã illam meam in te obſeruantiam. nam anteà quidem faciebam te plurimi, ſed vt virum eximia eruditione ac prudentia clarum, non ut herum et patronũ: nunc autem poſtquàm ampliſsimus princeps meus Ioannes Prerembius Archiepiſcopus Gneſnenſis, è vita deceßit, te ego vnum ex omnibus delegi, cui poſt illius mortem me totum addicerem, cuiq; omne ſtudium meum, operam, diligentiam omnibus in rebus deferrem, cui deniq; inſeruirem, ac mea omnia traderem. videbã enim principe meo ſummæ pietatis ac probitatis viro extincto, noſtra in Repub. quaſi lumen aliquod elucere excellentes virtutes tuas. Quare te etiam

atq;

atq; etiam uehementer oro, vt tibi ſic de me perſuadeas, ex his qui te obſeruant & colunt, qui id ſanctius, et diligentius quàm ego faciat, eſſe neminem. Huius vero ſingularis meæ erga te obſeruantiæ & officij, ut aliquod ſignum haberes, hunc Syneſii librum tibi mittere uolui: puſillum munus illud quidem, & cuius me tantum non pudet, ſed à te pro tua ſumma in omnes benignitate, non ex ſe, ſed ex eius à quo mittitur animo ponderandum. Quod ſi tibi hoc quidquid eſt probari, ac gratum eſſe intellexero, omnibus viribus contendam, vt propediem omnes Syneſii vigiliæ, eo genere ſermonis in nomine tuo appareant. verum hæc hactenus. Extremum illud eſt, Miſcoui humaniſsime, vt te rogem, quod quidem enixe facio, vti me in numero tuorum eſſe patiaris. id ſi ero conſecutus, & præclarè mecum actum eſſe exiſtimabo, & omnes in partes enitar, ut intelligas te, clientem habere gratum, & fide, ac obſeruantia erga te, omneſq́ tuos nemini concedentem. Vale ampliſsime patrone, noſq; tuo patrocinio tuere. Idibus Febr. M. D. LXIII.

Patauio.

55

Synesii Cyrenæi vita ex Suida.



SYNESIVS episcopus è Ptolemaide Pentapolis oriundus est. Is cum iam philosophus sacris esset initiatus, varios libros, cum de Grammatica, tùm de Philosophia græcè conscripsit. multas etiam orationes de regno ac panegyricos confecit. Scripsit prætereà encomium caluitiei, ac summæ admirationis de prouidentia librum, & alios quamplurimos ac diuersi generis, & epistolas ingenij atq; eruditionis plenas. Hæc ex Suida.

Eiusdem vita ex Euagrio Scholastico.

ISTam mihi historiam magno cum labore scribenti, agè prodeat etiam in medium Synesius Cyrenæus, vt orationem nostram sua ipse memoria ornet. Erat hic Synesius cum alijs in omnibus disciplinis eruditus, tùm vel maximè in philosophia, in qua tantos progressus fecerat, vt summa in admiratione apud homines Christianos esset: cui neque amore, neq; odio adducti vllo, ea quæ cernuntur iudicant. Persuaserant itaque ei, ut se salutari lotione ablueret, ac onus sacerdotij susciperet, cum nondum dogmati de resurectione mortuorum assensisset. Augurabantur enim sanctissimi homines eum reliquis suis virtutibus facilè hoc quoque consequuturum, præsertim cum diuina gratia nulla parte manca esse possit. nec sanè eos spes fefellit, nam qualis hic & quantus fuerit, testantus cum epistolæ eius, quas doctè & eleganter post initum sacerdotium elucubrauit, tùm etiam liber ad Theodosium, ac cœteræ eius vtilissimæ vigiliæ, quæ circunferuntur. Hæc Euagrius.

Synesii Cyrenaei vita ex Suida.

SYNESIVS episcopus é Ptolemaide Pentapolis oriundus est. Is cum iam philosophus sacris esset initiatus, varios libros, cum de Grammatica, tum de Philosophia græcé conscripsit. multas etiam orationes de regno ac panegyricos condidit. Scripsit præterea encomium caluitiei, ac summæ admirationis de prouidentia librum, & alios quamplurimos ac mirificentia, & epistolas ingenij atq; eruditionis plenas. Hæc ex Suida.

Eiusdem vita ex Euagrio Scholastico.

Illam mihi Ecclesiam magno cum labore scribenti, atq; prodesse visum in medium Synesius Cyrenæus, ut orationem nostram sui memoria ornet. Erat hic Synesius cum alijs bonis artibus admodum eruditus, tum vel maxime in philosophia eam in qua tantos progressus fecerat, ut summa in admiratione etiam apud eos Christianos esset: cui neque amore, neq; odio addicti illos, ea quæ cernuntur iudicant. Persuaserant itaque ei, ut se salutari lauacro ablueret, ac onus sacerdotij susciperet, cum nondum dogmati de resurrectione mortuorum assentiretur. Augurabantur enim sanctissimi homines fore ut [illegible] consequentiam, præsertim cum diuina gratia nulla parte manca esse posset. nec [illegible], nam qualis hic & quantus fuerit, testantur cum epistolæ eius, quas docte & eleganter post initum sacerdotium conscripsit, tum etiam liber ad Theodosium, & cætera eius lucubrationes vigiliæ, quæ circumferuntur. Hæc Euagrius.

SYNESII

AD ARCADIVM IMPERATOREM DE REGNO LIBER, STANISLAO ILOVIO.

Polono Interprete.



N VERO', nisi quis ab vrbe ampla & opulenta veniat, & orationem magnificam ac perelegantem afferat, qualem Rhetorica & Poetica edere solent, populares nimirum artes, populares fœtus, eum cum huc se contulerit vultum demittere oportet? vtpotè cui potestas facta non sit in aula, non modò liberè loquendi, sed nè hiscendi quidem, cum non habeat patriam illustrem, neque disputationes de rebus iucundis, quales hic quotidiè haberi solent, in medium proferat, quæ & ipsum Imperatorẽ, & eos qui illi in consilio adsunt voluptate perfundere possint. An etiam aliquando Philosophiam aduenientẽ recipietis, & quis vestrũ ipsam agnoscet, quæ hic post tàm longum interuallum temporis apparet, ac tanquam hospitem benignè excipiet, de eaq; honorificè loquetur apud eos, apud quos decet? hos enim desiderat honores, non ipsa quidem sua causa, sed vestra, ne despectui habita nihil vtilitatis & adiumenti uobis afferat. Atq; ipsa quidem uobis afferet sermones, non hilares illos quidem, nec qui voluptate afficiant adolescentes: quippe cum eius oratio neque natura sua diffluat, neque verborum ornatu fucatam pulchritudinem ostendet: sed

alterius cuiusdam grauioris, atque diuinioris generis, viriles inquam & graues, & eam gratiam recusantes, quæ assentionis ergo à principibus proficisci solet. Hi verò sermones adeo imperterriti, ac intrepidi sunt, & à regum palatijs alieni, vt se fore contentos negent, etiam si quis eis hoc dederit, ne omnia ex omni parte regis acta, neve regem ipsum collaudent; sed denuntiant se, si quando res feret, molestiam exhibituros, ac minitantur in reprehendendo quàmmaximè acerbos fore: si modo aliquem ita molestia affectum, ad frugem se reuocare posse viderint. Oratio profectò libera, regis auribus magni æstimanda est. Nam laus illa quæ temerè quamlibet ob rem tribuitur, quamuis lætitiam faciat, nocet tamen plurimum, similisq; mihi videtur pharmacis illis, quæ improbi homines melle oblita, ijs quos perdere volunt, porrigunt. An nescis coquinariam condimenta & irritamenta quædam famis adulterinæ parando, corporibus humanis obesse? artem verò exercitatricem ac medendi, quamuis ab initio molestiam aliquam pariant, postremò tamen hominem seruare. Ego itaq; te saluum esse volo, etiam si tibi salus tua molesta futura sit. Nam vt sal carnes sua vi constringens, ipsas non patitur difflue re, sic adolescentis Imperatoris animum, quem principatus potentia huc, & illuc rapit, orationis veritas coercet. Qua de causa æquum est, nos nouum hoc, atque peregrinum orationis genus ferre, neq; prius rusticitatis condemnare, aut dicendi silentium imponere, quàm paulò longius processerit, eò quod lepori non seruiat, nec iuuenes rebus ludicris tenere studeat, sed quod sit quasi quædam magistra morum, quódque grauis sit eius congressio: quòd si consuetudinem eius patienti animo sustinere poteritis, etsi nondum aures vestræ illis laudibus, quibus patere solent delinitæ, atque deprauatæ sunt. Ecce me tibi, quem mittit Cyrenæ, caput ut auro coronem tuum animum verò philosophia. Cyrene, inquam vrbs Greca, & quidem vetusta ac venerabilis, veterumq; poetarum versibus clarissima, nunc verò egens, abiecta, ac parietinis plena, quæque ope ac auxilio Imperatoris opus habeat, si velit aliquid an

tiqua illa sua laude dignum præstare. huic tu nostro malo facilè si voles medicinam facies, in manu tua enim est, vt ab ampla & beata quondam patria mea alteram tibi coronam apportem. Oratio autem nostra, ne nunc quidem splendorem, ac ornamentum ciuitatis desiderat, vt liberè, & fidenter cum Imperatore verba facere audeat. Veritas enim, orationis splendor maximus est, nec propter locum ulla adhuc oratio, uel turpior, uel illustrior extitit. Quare DEO OPT. MAX. iuuante ad rem ipsam explicandam ueniamus, orationemque, uel ut uerius dicam, actionem omnium pulcherrimam aggrediamur. Qui enim id studet, ut unus Imperator optimus sit, is mehercule breuissimam init uiam, ut omnes familias, omnes ciuitates, omnes nationes, siue paruas, siue magnas, siue propinquas, siue longinquas instituat, atque corrigat. Nam utcunque fuerit conformatus Imperatoris animus, eius omnes esse participes necesse est. Placet nè igitur sic principio faciamus, ut orationem meam æquo animo audias? hominis enim prudẽtis est, non perterrefacere feram, si quandò uenatum ierit. Exponamus igitur, quæ Imperatorem agere conueniat, quæ nõ conueniat, & proponamus ipsi simul quæ honesta sint, & quæ turpia, ut hæc sequi, illa uitare possit. Tu uerò ad turpia & honesta animum appellens, ubi cognoueris quid te maximè deceat, & quid dedeceat, hoc reijcias, illud amplectare, quasi à philosophia comprobatum sit. atque cogita hoc tibi semper faciendum esse, illud uero non amplius unquam. Cum autem de his sermonem habebo, tum tu si quid egeris, quod te dignum non est, cuius & nos, & tu ipse tibi conscius es, facito vt erubescas, atque tibi ipsi succenseas, ne appareat esse in te, quod te est indignum. Verecundia enim & rubor hic, virtutis ex pœnitentia maximum est inditium, atque hic verecundia est, & Hesiodo videtur, planè diuina. Ille autem qui suis in erratis persistit, & quem pudet suam inscitiam fateri, is nullum fructum feret ex pœnitentia, neque huic oratione, quæ illum morbo liberet, opus est; sed talem potius uir sapiens pœna dignum esse dixerit. Sic sane ò Imperator in ipso exorsu aspera & diffici-

& difficilis tractatu philosophia est. ideò enim iam nonnullos uostrum perturbari, istamque libertatem dicendi grauiter & iniquo animo ferre. At ego pollicitus eram me in principio orationis meæ molestum fore: quare uestrum erat, qui id ante animo perceperatis, uos munire, atque isti conatui fortiter ire obuiam. Quamquam tu hæc libenter audire soles, omnesque id de te prædicant, in quo ego etiam tibi lubens assentior, Nullum esse qui tam amplum Imperium possideat, quàm tu, tantisque te opibus circumfluere, ut iam ipsum etiam Darium lõgè prætereas, ac nullum esse qui plures equites alat, aut peritos sagittarios & loricatos, quibus si strenuus dux esset, nulla res esset tanta, quæ illis resistere posset. Ciuitates prætereà tam multæ te colunt & obseruant, ut uix aut ne uix quidem numerando percenseri possint, quarum plurimæ sunt, quæ te neque præsentem aspectu perceperunt, nec se vnquam visuras sperant, eo quod spectaculum hoc augustius ducant, quàm vt optare audeant. hæc ita se habere etiam nos fallimur. Quid igitur est in quo nostra ab illorum discrepet sententia? in eo nimirum quòd te illi inde summis laudibus in cœlum ferunt, beatumq; prædicant: ego verò ex eo minimè te laudibus ornauero, sed rectissimè beatum prædicauero. non est enim eadem causa, quare aliquem laudare velimus, & beatum censere, sed diuersa. Nam beati prædicantur ij, qui bonis externis præditi sunt, laudibus verò efferuntur illi, qui bonis internis, in quibus fœlicitas ipsa sita est: Ac beatitas quidem fallax fortunæ donum est, laus autem eorum bonorum, quæ propriè nostra sunt. atque eam ob causam laudatio vi sua stabilis est, prosperitas autem fluxa & caduca, & sæpe breui temporis momento in contrariam partem commutatur. ad quam quidem conseruandam diuino auxilio, ingenio summo, arte, occasione, multis denique actionibus ac varijs opus est: quarum neque experientia vlla est, neque etiam faciles sunt ad exponendum. Non enim quemadmodum nullo labere hominibus beatitudo aduenit, sic etiam nullo negotio tenetur. Enimuerò vides quibus vitæ generibus Tragedorum scenæ refertæ sunt: nam non

his

his calamitatibus, quibus affliguntur homines priuati, paruisque opibus præditi, uerùm his in quas homines omni genere copiarum abundantes dijnastæ scilicet & reges uenire solent. Parua enim domus magnam calamitatem non capit, neque in mendicum magna infortunia cadunt: sed qui florenti fortuna illustris est, hic etiam periculis, atque rebus aduersis clarus esse potest. Sæpe etiam uirtus initium fuit secundæ fortunæ, & laus beatitudinem præcessit, quasi erubescente fortuna, si debitum testimonium præstantissimis virtutibus non tribuerit. Quod si exemplis hoc corroborandum est, ne ea quidem foris petamus; sed veniat tibi in mentem pater tuus, cui imperium virtutis quasi mercedem datum fuisse cognosces. Fortuna autem uirtutis causa nunquam extitit: verùm extiterunt nonnulli, qui fortuna veluti instrumento quodam ad uirtutem consequendam vsi sunt. in quorum numero utinàm tu ò Imperator sis, ne etiã hoc loco philosophia in verbis faciendis operam perdat. Eo nomine præclarum ducito imperium, quòd uirtutem suam excoluerit, quodq; tibi materiem talem præbuit, quæ amplitudini tuæ responderet, quam aliquis in minori fortuna constitutus capere non posset. Danda est igitur opera, vt animum regijs virtutibus exornes, & fortunæ patrocinium suscipiendum est, ne imprudenter fecisse videatur, quòd non eadem tibi initia imperandi cum patre fuerint. hic enim militiæ laboribus regnum cõsequutus est, tu verò postquàm imperium es adeptus, bellum geris, & virtutem tuam fortunæ acceptam referre debes. ille bona per summum laborem sibi quæsiuit, tu autem sine labore hæreditario iure ea accepisti. Sed magno labore opus est, ut ea tuearis, & hoc est quod iam dudum dico difficilimum esse, magnaq; vigilantia egere, ne id quod fors facere consueuit conuertat se in medio itinere, quemadmodum improbi comites solent: Cum his enim uagam & inconstantem fortunam sapientissimi viri contulerunt. Id ex patris tui euentis facilè intelligi potest, qui quanquam ob res benè gestas declaratus sit Imperator, non tamen inuidia permisit, ut extremum vitæ tempus sine laboribus traduceret: neq; tamen Deus

coronæ expertem illum reliquit: nam profectus contra duos Tyrannos, ijs fusis, in ipso puncto trophei secundi è vita decessit, nulli mortalium, sed naturæ cedens, aduersus quam neque arma ulla valent, neque mens sagax quicquam excogitare potest. Ac sanè virtus ipsum ad sepulchrum usq; comitata est, cum vobis imperium maximè pacatum, ac tranquillum reliquerit, quod uobis incolume virtus, & per virtutem Deus seruabit. Nam cum omni in re, ac omnibus hominibus diuino auxilio opus est, tùm uel maxime ijs, qui suo marte, & industria imperium sibi non pepererint, sed quos fortuna hæredes imperij fecit, vti vos. Cuius cui maximam partem Deus tribuit, & quem adhuc ualde puerum summum Imperatorem appellari voluit: is maximè omnem laborem suscipere, omnem desidiam abiicere debet, paululùm somno, plurimum verò curis deditus esse, si modò nomine imperatorio dignè affici uelit. Verum enim est illud vetus dictum, non multitudinem eorum, qui imperio parent, magis facere Imperatorem, quàm Tyrannum. nam neque ouium multitudo magis pastorem facit, quàm coquum, qui ipsas ideo agit, vt in minutas partes secet, quò & ipse se expleat, & alijs uoranilas præbeat. pari interuallo dico Tyrannum & Regem inter se distare, quamuis uterq; eorum iisdem fortunæ bonis affectus sit: vtrique enim eorum in multos homines imperium est. Sed profectò qui se ad res honestas eorum, quibus præest accommodat, quiq; id vel maximè laborat, ne illi aliqua calamitate affligantur, & qui se omnibus periculis obijcit, vt securè & liberè sui uitam agant, tum qui omni cura & vigilijs contendit, nè vllo tempore sui aliquam molestiam capiant, hic est inter pecudes pastor, inter homines uerò rex. Quicumque autem imperio ad luxum abutitur, & potestatem ad voluptates perfruendas confert, ratus oportere se omnes suas libidines etiam cum lachrimis populi explere; & qui existimant hunc fructum imperij esse uel maximum; vt à multis animi sui voluptates foueantur, & vt vno verbo omnia complectar, qui gregem non saginat sed ipse à grege saginari vult, eum inter pecudes coquum, inter homines autem Tyrannum

rannum appello. Hanc igitur tibi unam in imperando normam propone, ad eamq; te ipsum dirige, visite conuenientem esse videris, tum iure optima Imperatorium nomen tibi vsurpato: sin minus, da operam vt his quæ praua sunt correctionem adhibeas,& normæ te adaptes. non enim despero quin ætas tua facilè omnem accessionem uirtutis capere possit, si modo aliquis eam ad virtutis studium excitauerit, atque inflammauerit. Magna enim est uis adolescentiæ in utranque partem,& perinde ac fluuij in eam partem maiori cum impetu prorumpunt, vbi ipsis defluxus patet. atque ideo maxime opus est adolescenti Imperatori philosophia,quæ ipsum vel adiuuet ad virtutem assequendam, vel à uitio, quod utrinque positum est, reuocet. Alia enim uitia, alijs uirtutibus vicina sunt, & ab omni uirtute lubricus est, non ad uirtutem, sed ad uicinum uitium lapsus. Regno uerò Tyrrannis ita finitima est, ut fortitudini audatia liberalitati profusio, & magnanimus, nisi à philosophia intra uirtutis cancellos contineatur, sique paululum modo se extulerit pro magnanimo ostentator & nisi abiectoque animo euadet. Nec ullum aliud uitium regni caue ut pertimescas, quàm Tyrrannidem, ad quam cognoscendam utere ijs signis quę à nobis allata sunt. Præcipuum autem scito esse hoc, quòd Regis uoluntas moresq; legi parent, Tyrranni uerò imperant. Imperium quidem quasi communis quædam materies proposita est ambobus, etiam si genere uitæ differant. Fortunatiss. itaque & fœlicissimus quisque est, cuius ad uoluntatem omnia natura fluunt, uoluntas uerò prudentiæ optemperat, & cum sit domina rerum externarum, principatum tamen concedit potiori illi contubernati nempe prudentiæ,& ab ea rerum agendarum qua si tesseram expectat. Non enim imperium ad bene beatæque uiuendum satis est, neque Deus in uiribus beatitudinem collocauit, sed oportet adesse, immo uerò potius ante suppetere prudentiam, quæ quàm rectissimè potentia utatur. Atque ego hunc & uirum, & uitam omnibus numeris absolutam esse statuo, quæ utrinque perfecta est, nec ex altera parte claudicet, & ubi is imperat, qui imperandi artem tenet. Prudentia qui-

dem,& uires si coniunctæ fuerint, inexpugnabiles sunt: sin disiunctæ fuerint, ut uel uis, sine prudentia, uel prudentia sine uiribus reperiatur, facilè uinci, atque expugnari poterunt. Hinc ego prudentiam Aegiptiorum in eo admirari soleo, quòd Mercurij effigiem duplicem effingere soleant, iuuenemque iuxta senem collocent. quo significare uolunt eum qui alijs rectè imperare uolet, debere prudentiam cum uiribus habere coniunctam, existimantes alteram sine altera mancam atque inutilem esse. Eadem etiam de causa sphingis effigies ab ipsis in uestibulis templorum collocatur, ut declaret uirtutes omnes inter se uinculo quodam connexas, atque constrictas esse, nam fera robur significat, homo prudentiam, robur enim sine prudentia furor quidam est, omniaque miscet ac perturbat, & mens si non habeat manus administras ad res agendas inepta est. Ornamentum itaquè regium omnes quidem uirtutes sunt, sed omnium maximè regia prudentia est: hanc tu in consilium tuum adhibeas, eam enim consequetur, ueluti principem ac maiorem natu inter sorores omnis perfectio, ac mox deinde cœteras omnes uirtutes & uictus & belli socias habebis Hoc unum iam dicam, quod quidem uobis primo aspectu absurdum uidebitur, cum tamen uerissimum sit, quando ego imbecillitatem cum uiribus corporis pertendo, & paupertatem cum opibus, & rerum omnium incommoda cum commodis, hæc si nuda ac sine prudentia expendantur, paupertas, mehercule, & imbecillitas, uitaque priuata in hominibus minimè prudentibus maximo principatu fœlicior existimanda est: minus enim homines peccant, cum facultatem exequendi, quod animo perceperint non habent. Nam externa bona, quæ ab Aristotile, & Platone, quos ego duces sequor, instrumenta uitæ uocantur, non minus uitiorum ministra sunt, quàm uirtutum. proinde etiam uiri hi duo, & omnes qui ab ipsis Philosophis fluxerunt, istis externis bonis nec melius, nec deterius nomen dederunt: sed ea omnes instrumenta uocant quæ modo mala, modo bona esse possunt, pro ratione eorum qui eis utuntur. quarè quemadmodum optabile est, ut homines improbi his instrumentis

careant

careant, ne his instructi res nefarias patrent, sic uicissim optandum, ut suppetant ijs, qui ea ad utilitatem omnium urbium, ac hominum priuatorum collaturi sint, ne uirtutis indoles otiosa ac inutilis marcescat, sed potius omnem uim suam ad homines beneficio complectendos conferat. sic tu etiam propositis istis bonis utere, nam nulla alia ratione his bonis uti poteris. Ex prudentia autem tua, & diligenti procuratione priuatorum domus, ciuitates, populi, gentes, terræ, fructum capiant; quam procurationem omnium rerum præpotens Deus uoluit esse imaginem prouidentiæ suæ, constituens se ipsum exemplar in ijs rebus, quæ ratione, & intellectu percipiuntur. ac sanè hæc mortalia ad normam cœlestium regi uult. Charus igitur magno illi regi & Imperatori, hoc est, ipsi Deo is est, qui eodem nomine inter mortales appellatur, si effecerit ut iure ita possit appellari. Consequetur autem hoc, si alterum nomen ex his quæ Deo tribui solent sibi asciuerit. de quo antequam uerba faciam, non puto me uobis rem molestam facturum, si prius aliquid ex media philosophia depromptum attulero, quod ad hanc rem illustrandum facere poterit. Nullum profectò adhuc nomen inuentum est, quod Dei Opt. Max. naturam pœnitus exprimeret, uerùm cum humanos sensus effugiat, ex suis operibus eum student comprehendere; nam siue ipsum patrem opificem dixeris, siue alio quouis nomine appellaueris, si principium, si causam, ista omnia non sunt eius nomina propria, sed affectiones quædam ab his rebus deductæ, quę ab ipso manant. Quarè si illum regem nominaueris, comprehendere tu quidem conaris naturam eius ab ijs rebus sumpta appellatione, quibus imperat, non tamen ueram naturam, & personam ipsius attingis. Sed iam reliqua eius nomina, quæ distuleram in hoc tempus, uti me facturum receperam, exponere aggrediar. Quod nam est ergo eius nomen simile nomini regis, qui apud nos est, quod confirmet, & ostendat uerum esse ac genuinum Imperatorem, non autem falsò ipsum appellari? Bonum scilicet Deum celebrant omnes ubique, tam sapientes, quàm insipientes populi, atque in eo omnes inter se consentiunt, cum cœ-

teris in rebus dissideant, opinionemque de numine diuino ac naturam eius incorruptam sententijs suis diuersis diuellunt. Veruntamen ea ipsa bonitas, quæ sine controuersia ulla ab omnibus deo tribuitur, nondum indicat certum Dei naturam ac essentiam, sed est à posterioribus mutuo sumpta, non enim ut res quædam absoluta illa bonitas ad aures nostras peruenit, sed ex eo nomen accepit, quod ijs in quos confertur bona est. hæc enim est sententia istius nominis, quæ nihil aliud nobis declarat, quàm esse Deum auctorem omnium bonorum. Et sanè preces etiam illo patrum nostrorum in cæremonijs sacris, quæ ad Deum fiunt, non potentiam ipsius extolluntur, sed procurationem prædicant atque uenerantur. Cum igitur Deus ea nobis largiatur, quæ ipsum largiri conuenit, nimirum uitam, essentiã, mentem, & cœtera huiuscemodi, quæ non sunt indigna, uti à Deo opt. max. in nos proficiscantur, tuæ etiam erunt partes, non deserere stationem eam in qua collocatus es, neque his cognominibus quę cum Deo communia habes notam ignominiæ inurere ullam, sed totis uiribus efficere, ut Deum quoad possis imitatione exprimas, id erit si ciuitates omnes omni genere beneficiorum cumulaueris, si fœlicitatem tantam in eos, qui tuæ ditioni parent conferes, quantam quisque eorum capere poterit. Hoc si feceris tum te Regem magnum uerè appellare poterimus, non honorem hunc consuetudini tribuentes, non utilitatem captantes, nec etiam iram deprecantes, sed sincero animi inditio annuentes, & lingua sine fraude animi sententiam interpraette, Sed iam oratione tibi Regem exprimam, ueluti simulachrum quoddam tibi ante oculos ponens, tu autem fac efficias ut moueri hoc simulachrum & uiuere uideatur, ad quod effingendum, si res postulauerit, adhibebo ea, quæ ueteribus ac beatis uiris in mentem uenerunt, tu uerò nihilominus hæc quàm alia libenter excipito, immo uero libentius, utpote cum regem sine ullo dubio ea deceant, de quibus eadem sit ueterum ac recentiorum sententia. Simulachri autem istius, ut inde ordiar basis firma sit ipsa pietas, super qua constituamus simulachrum nostrum, ne ulla uis unquam illud euertere possit. sed

sit. sed hæc quàmuis in ima simulachri parte collocabitur, tamen in altum assurget; & multis in locis, potissimum uerò in uertice conspicietur. Hinc uero exordium ducens assero Imperatorem sibi ipsi primum imperare oportere, suoque ipsius in animo, ueluti monarchiam quandam instituere. non enim te præterire debet hominem multiplex quiddam atque diuersum esse. Deus enim omnipotens tantam multitudinem potestatum, tanquam mixtam ac uariam in unius hominus constitutionem contulit, ut homo sit ipsa hydra monstruosior, pluraq; capita habeat. non enim eadem facultate intelligimus, appetimus, dolemus, irascimur, lætamur, timemus, sed uides in alia parte hominis quiddam esse uirile, in alia quiddam effeminatum, in alia fidentiam inesse, in alia timiditatem, ac ita in uno & eodem homine multa insunt, quæ prorsus inter se contraria sunt. Inest etiam quædam in nobis media, inter has omnes facultates natura, quam mentem appellamus, istam ego in animo regis imperare uolem, omnium perturbationum populari illa potestate euersa. Hic enim Imperator ueluti à lare suo hoc est à seipso auspicatus, maximè secundum naturam imperabit, nam quicumque eas animi partes, quæ rationis expertes sunt, cicures & mansuetas reddiderit, easque ratione subiecerit, multiplicem illam cupiditatum uim ad sapiens imperium redigens, hic homo planè diuinus, hic priuatus, & Rex erit, sed e Rex potius, quoniam hic uirtutem suam omnibus gentibus impertit, illiusque bonis ac uirtutibus multi mortales fruuntur. In eo enim necesse est, ut sit animus quietus ac pacatus, & in uultu eius diuina quædam tranquilitas appareat. non enim est formidabile, sed potius uenerabile spectaculum is, qui cum uerecundia quadam minime turbulenta deterret amicos cum dico bonos uiros dico, inimicos uerò & improbos perterrefacit. In animo autem talis Regis nullus locus est pœnitentiæ, quicquid enim agit, id agit de sententia & consilio omnium animi partium inter se consentientium, eo quòd omnes animi partes ad rationis imperium respiciunt, nec dedignantur partes, sicatque cum uno nimirum toto conspirare, quicumque

autem partium iſtarum munia diſiungit, facitque ut ſingulæ ſe-orſum Imperare uelint, & ut poſſint ſuadendo commouere animantem, hominem hunc, in quo talis ſit confuſio nunc uidebis animo efferri, nunc deijci, nunc hoc appetere, nunc illud fugere, multis denique moleſtijs ac uoluptatibus in diuerſas partes trahi, nec unquam ſibi ipſi conſtare. Vndè illud apud poetam prolatum: quantum malorum ſim patraturus ſcio, ſed ira mentem uincit & prudentiam. Agnoſcebat enim hic diuerſitatem, atque diſſenſionem facultatum animi, quæ pari poteſtate præditæ eſſent. Proinde hoc uel maxime regale eſt, ut ſibi ipſi Rex primùm imperet, ac menti ſuæ, omnes perturbationes, quæ intus ueluti quædam feræ ſunt, ſubijciat. turpe etenim eſt infinitis hominibus imperare uelle, cum ipſe turpiſſimis dominis ſeruiat, uoluptati, dolori, & quotquot eius generis feræ in animali uerſantur. Cum ita fuerit animus Regis conſtitutus, tum primùm congredietur cum propinquis & amicis ſuis, ac in eorum cœtu de ſumma omnium rerum conſultabit. hos uerè appellabit amicos, non utens ſimulationis nomine, neque ut ſolent ij, qui immanitatem, & ſeueritatem dominationis corrigunt, longe humaniore nomine quàm res ipſa patiatur. Quæ enim præſtantior ac firmior poſſeſſio Regi eſſe poteſt, quàm amici conſuetudo? quis ſecundæ fortunæ iucundior ſocius? quis ad perferendas acerbitates tutior, uel certior? quis in laudando minus fucatus? quis in admonendo minus moleſtus? Quod uero magis illuſtre argumentum populo eſſe poteſt prudentiæ Imperatoris, quàm ſi uiderint Imperatorem familiares ſuos euehere ac beatos planè reddere? ita enim & externorum amorem ſibi conciliabit, & omnes boni in amicitiam eius uenire contendent. Ea uerò omnia prorſus ſunt in Tyrrannis contraria, à quibus illud ſcitum prouerbium natum eſt. Procul à Ioue & fulmine: nam ex eo quòd ij ſuis familiaribus inſidias tendunt ſatius eſſe ait in otio ſine periculo uitam degere, quàm in negotio, & ſplendore cum periculo. Nemo enim unquam ob Tyrranni familiaritatem beatus habitus eſt, at miſerabiles multi ob inimicitias. Verùm in Rege longe aliter ſe

ter se res habet, is enim nouit Deum scipso contentum, nulla laborare penuria, & esse naturam principem, ac longe ante euntem eos, qui potestati eius subiecti sunt. Hominum autem natura, quæ multis & sui similibus imperat, cum satis esse non possit ad omnes res perspiciendas; cum amicis se coniungendo, id quod deficit supplet, & potestatem suam cum multis communicat. hac enim ratione, & omnium oculis cernet, & omnium auribus audiet, & omnium denique consilijs in unum tendentibus consultabit. Verùm omni studio elaborandum est, omniaq; aulæ arma, si fieri potest, ad eam rem conferenda sunt, ne fallat obrepens assentatio, amicitiæ personam suscipiens. ab hac enim sola, etiam si uigilias agant prætoriani milites, diripitur, ac uastatur imperium; peruadit enim nisi ualde arceatur ad intima penetralia Regis, aggrediturq; illud, quod præcipuum, atque maximum est in Rege, animum scilicet ipsum. Amor quidem in suos non postremum locum tenet inter regias uirtutes; hic enim Cyrum illum, hic Agesilaum apud Græcos & barbaros claros ac nobiles reddidit. Atq; Rex quidem ipse statuet, quid agendum sit, sententiam uero suam amicorum auctoritate confirmabit, res uero ad exitum ut perducantur suum, multorum opera & studio opus est. Hactenus Regẽ effinximus, qualis intus esse debeat: nunc qualem foris eum esse decet dicendum est. Hinc oratio proficiscens Regem extra aulam producit, & post amicos tradit militibus, qui & ipsi ueluti secundi amici sunt, deinde eum in campo constituit, inquisitorem eum faciens, uirorum, armorum & equorum. Ac in campo quidem cum equite, equitem se præbebit, cum pedite decurret, cum milite grauis armaturæ armis contendet, cum cetrato peltale exercebit, cum milite leuis armaturæ iaculabitur, ut communione operum ad ueram ac germanam societatem illos alliciat, neve illis simulator esse uideatur commilitones eos appellando, sed ut re ipsa cognoscant uerè se dici commilitones, nomenque ex factis ipsis ductum esse testificentur. Fortassis grauiter & iniquo animo feres, quòd tibi laborem imponimus, sed mihi crede laborem corpus Imperatoris minimè attingere:

tingere: Cuius enim labores conſpicui ſunt, hunc labor minimè frangit. at Imperator dum corpus exercet, dum ſub dio agitat, dum ætatem ſuam in armis traducit, omnibus gentibus ſpectaculo eſt: nam & præſentium oculi in hunc conijciuntur, idque temporis cum imperator aliquid in conſpectu omnium agit nullus. aliud intueri uult, & abſentium aures, præclarè rebus geſtis imperatoris perſonant, celebrantur enim ab omnibus. Præterea Imperator frequenter in oculis militum uertendo, ſummam ſibi & firmam beniuolentiam apud eos conciliat. Quod uero firmius regnum poteſt eſſe eo, quod amore ueluti mœnibus quibuſdam ob uallatum eſt? quis porro priuatus, quis pauper ſecurior ac magis tutus eſſe poteſt illo rege, quem non metuunt illi qui in eius regno & ditione ſunt, ſed cui metuunt? militare enim genus hominum & ſimplex eſt, & generoſum, facileque conſuetudine deuincitur. Vnde Plato ipſos cuſtodes uocat, & canibus ſimiles eſſe ait, qui eos quos ſemel uiderunt amant & obſeruant, illos uerò quos nunquàm aſpectu percepere loco inimicorum habent. quid uero turpius eſſe poteſt illo rege quem milites ſui non de facie, ſed ex picturis cognoſcunt? Neque uero hanc ſolum Imperator utilitatem percipiet ex frequenti commertio cum militibus, quòd exercitum unum ueluti corpus coniunctum circum ſe habebit, ſed quòd etiam illa, quæ illis temporibus, dum Imperator cum militibus eſt, geruntur, ſint exercitationes quædam rerum bellicarum, & primordia ac præparationes ueræ expeditionis alicuius, quæ milites ad maiora longè ac eadem magis ſeria excitare atque inflammare ſolent. Non enim res parui momenti eſt, in ipſo conflectu nominatim compellare & cohortari duces, centuriones ſigniferos,& milites nobiliores, ac eos qui in exercitus ordines ducunt. Vnde Homerus quandam deorum in prælium græcorum adducens, ait ipſum, ictu ſceptri, robore firmo animos iuuentutis impleuiſſe adeò ut animus eorum.

Pugnandi ſubito uehementi arderet amore. Ac ſane ita quidem omnes ardebant cupiditate pugnandi, ut neque pedes, neque manus continere poſſent. nam illud Homeri: Infra pes, ſupraque

ſupráque manus geſtire uidentur, nihil aliud ſignificat, quam membra illorum ſua ſponte ad munera prælij obeunda commota fuiſſe. Hoc ipſum quoque, mea quidem ſententia, Imperator efficiet, unumquemque nomine ſuo appellando: nam ſic & eum qui non dum bellicum cauere audiuit ad ſtudium laudis excitabit, & bellatorem peritum magis ac magis exacuet. nemo enim laborem non libenter non ſuſcipit, ſi eius teſtem habeat imperatorem. Atque hanc compellationem Homerus exiſtimaſſe uidetur Imperatori, tum belli, tum pacis tempore, eſſe longè utiliſſimum, qui cum animaduertiſſet quantum ualeat ad animos militum firmandos, ne gregarium quidem militem ab imperatore ignorari, fecit Agamemnonem, non ſolum nomine proprio appellantem milites, ſed eundem fratri præcipere, ut in compellandis militibus etiam nominis paterni & gentis mentionem faciat, & ut eos ſummis laudibus ornet, uerè ipſe ſe efferat. dum enim dicit ut eos laudibus extollat, nihil aliud uult, quàm ut honorificè commemoret, ſi quid egregiè aut proſperè, ab illis geſtum eſſe intellexerit. Videri, quomodo Homerus faciat regem Agamemnonem etiam popularium ſuorum laudatorem, nec ſine iniuria. Quis enim ſanguinem ſuum non libenter profundet, ſi uiderit ſe ab Imperatore gloria & prædicatione efferri? Atq; hunc ſane fructum feres ex frequenti uſu militum, cognoſces præterea mores uitamq; ipſorũ, tum etiam, ſi uſus uenerit, quo quiſq; loco in acie aptè collocari poſſit. nam & hoc non eſſe negligendum cenſeo. Omnis enim Imperator eſt ueluti quidam artifex bellorum, perinde ac ſutor calceamentorum: quem ſi inſtrumenta artis ſuæ præterierint, ab omnibus ludibrio habebitur. Imperator uerò quomodo belli inſtrumentis, hoc eſt militibus utetur, ſi eos cognitos non habuerit? Sed quoniam me in hunc locum deduxit oratio, non puto me multum à ſcopo aberraturum, ſi aliquid, quod cũ ea oratione, quæ in manibus eſt facere poſſit, ueluti per digreſſionem quorundam à præſenti tractatione in medium attulero.

Nam potero fortaſſe animos impellere, diui, ſi faueant. ueracis enim præceptio prodeſt.

Dico igitur nullam aliam rem deteriorem fecisse rem Romanam, quàm illum apparatum, & cultum, qui circa imperatorium corpus sumitur, quem illi nobis ueluti sacra facientes occultant, & quod uestra omnia barbaricum morem præseferāt. nullum enim habet ueritas cum simulatione cōmertium. Verū tu id iniquo animo nè feras, nam tuum hoc non est, sed eorum qui eius morbi auctores fuerunt, & qui hanc prauam consuetudinem, ueluti per manus alijs ad imitandum tradiderunt. Itaq; maiestas ista uestra, & hoc quod extimescitis, ne frequentius in conspectum hominum prodeundo, similes illis efficiamini, facit, ut à uobis ipsis inclusi, atq; obsessi sitis, cum & paucissima uideatis, & paucissima audiatis, quibus ex rebus prudentia, qua in actione consistit, colligitur, atq; comparatur. Ac sanè cum solis corporis uoluptatibus omnia metiamini, atq; his maxime belluinis, utpotè quæ solo tactu ac gustu percipiuntur, uitam instar marini pulmonis cuiusdam agitis. dum autem homines esse non uultis, sed potius dij, ne hominis quidem perfectionem assequimini. Itaq; illi homines quorum consuetudine utimini, inter epulas & alijs omnibus temporibus, quibusque aditus, magis in aulam, quàm ducibus, & centurionibus patet, quosq; ut elegantes ac uenusti sint tantopere ornatis. homines istos dico qui paruis capitibus sunt, ac nulla propè mente, quos aberrans natura notis quibusdam falsis insigniuit, non aliter ac improbi nūmularij adulterina numismata nec Imperatori dono datur ullum munus, quod magis gratū sit, quàm monstruosus homo, & quantò monstruosius munus est, tantò maiori in pretio habetur. Hi inquam homines eadem in te risum edentes ac lachrimas profundentes, & uariis habitibus, ac sonis, omnibus alijs deniq; rebus, quibus possuut, scurras agentes, eximunt uobis tempus, & ut ipsius iacturam, faciatis efficiunt, animiq; uestri caliginem, in quam eò incidistis, quòd naturam ducem in uiuendo non sequimini, multò maiore malo deliniunt. horum uos mutilos conceptus, & uerba non cohærentia libentius audire soletis, quàm graues sententias alicuius aptè loquentis, & lucidè, depromptas ex philosophia. Hunc

autem

autem fructum ex hac uestra præclara domestica latebra percipitis,quòd eam partem populi, quæ prudentior est, suspectam habetis,& quod spiritu regio apud illos utimini, at illis qui nullius consilij sunt aditus apertos ad uos esse uultis, omniaq; uestra cum illis confertis. Verùm scire debebas, unamquamq; rem hisdem instrumentis augeri,quibus & conflatur. nam si animo lustres omnia ubiuis terrarum dilatata imperia, siue Parthorum, siue Macedonum, siue Persarum, siue antiquissimum illud Medorum,siue etiam hoc,in quo degimus, cognosces homines plebeios, & milites eos qui sub dio agunt,ac humi in castris cubant,& qui neq; labori ulli parcunt,neq; uoluptatem sectantur, ea amplificasse,ac protulisse. Atq; homines cum res præstantes sibi summa cum diligentia parauerint, difficiliter eas, si prudentia absit, tenere possunt: uidetur enim florens fortuna, onus esse quouis plumbo ponderosius, ac facile eum, cui illud est impositum peruertit, nisi sit admodum robustus & ualens. Animi autem robur natura tribuit, exercitatio perficit,ad quam te Imperator philosophia hortatur,cauens ne id tibi aliquando contingat,quod cum ratione contingere solet. unumquodq; enim suis contrarijs dissoluitur. Neq; ego uelim,ut Imperator à ueteribus illis institutis Romanorum discedat,sed uetera cum dico,non quæ heri,aut paulò ante introducta sunt in rempub.iam deprauatam dico,sed quæ Romani tùm seruare solebant, cum tantum Imperium sibi quęsiuerunt. Nam cedò per genium Imperatorium,sed uide ut animo cōsistas, néve perturberis, mordax enim hic sermo est,& molestus. Quo tempore existimas rē Romanā meliore in statu fuisse? An postquàm purpureis,& aureis uestibus indui cœpistis, & gemmas ex montibus, ac mari procul auectas gestare? quas quidem partim calceis inseritis, partim cingulis apponitis, partim suspenditis, partim in fibulis uestium collocatis, partim etiam in sellis. atque ita sanè euasistis spectaculum maximè uarium, omniq; genere colorum instar pauonum distinctum, Homericam uobis execrationem accersentes tunicæ lapideæ. At uobis ne tunica illa quidem satis est. non enim ingredi uobis licet in curiam, cū

conſulatum geritis, neque comitia obire, neque in alium conſeſſum uenire poteſtis, niſi ueſtem talem induti fueritis, ac tum profectò oẽs homines, quibus fas eſt uos cernere in uos ſolos oculos conijciunt, quaſi ſoli è numero ſenatorum beati ſitis, cum ſoli onera magna auri & gemmarum geſtetis. ſed uos onere illo delectamini, perinde ac ſi quis aureis uinculis & præcioſiſſimis compedibus constrictus, non ſentiat tamen malum, neque putet ſe miſeranda pati, aut in uinculis eſſe, magnificentia illa, quæ in calamitate ineſt, circumuentus; cum tamen nihilo facilius ſe moueri poſſit, ac ille qui in ligneas compedes, easq́ue moleſtiſſimas coniectus eſt. Iam uerò uos ne pauimentum quidem tangitis, neque terram puram, ſicuti cæteri mortales calcatis, ſed neceſſe eſt eam arena aurea conſpergere, quæ quidem nobis ex longinquis regionibus plauſtris, & nauibus affertur. eorum uerò qui eam ſpargunt ingens numerus eſt. nec etiam regium eſſe exiſtimatis, ſi calceamentorum coria delicata ac prætioſa non fuerint. Num ne igitur meliori ſtatu ſunt res ueſtræ, ex quo iſtæ ceremoniæ ac religio circa imperatores conſiſtit, & ex quo latebras queritis ueluti lacertæ quædam, quæ uix ad leporẽ ſolis, caput è latibulo exerunt, timentes ne ab hominibus deprehendamini, homines ipſi cum ſitis? An tum cum Imperatores ipſi exercitus ducebant, in oculisq́ue omnium uerſabantur, ſole peruſti, & qui alijs in rebus ſatis ſimplici at tenui apparatu utebantur, non dithirambico aut tragico, pileos laconicos geſtantes? quos nunc pueri inter imagines cum cernunt rident, nec ſenes quidem omnes beatos eos fuiſſe exiſtimant, ſed ſi uobiſcum pertendantur prorſus infœlices. At illi non muniendo ædes ſuas arcebant barbatos, qui uel Aſiam, uel Aeuropam incolebant, ſed eos rebus à ſe præclarè geſtis admonebant, regnum uti munirent ſuum, cum identidem traijcerent, & euphratem contra Parthos, & Iſtrum contra Getas, Maſſagetasq́ue Nunc uerò illi alia ſibi nomina pro illis imponunt, nonnulli etiam ora ſua arte mutant, quo uideantur nuper è terra genus ueluti quoddam nouum, & inſolens prodijſſe, iamq́ue uos territare non dubitant, uiciſſim huc tranſeundo, atque pacem

cem pecunia redimere uos cogunt, nisi te uirum ostenderis. Verum iam desinamus, si placet, prisca cum præsenti statu rerum conferre, ne dum monere uolumus, exprobare uobis hæc uideamur, ostendendo tantum res imperatorias splendoris ac dignitatis amisisse, quantum insolentia creuerint. Sed quemadmodum oratio nostra in ista uestra uarietate commemoranda plurimum uersata est, ita etiam aliquam partem sui tribuat ueterum imperatorum uitæ, quam siue rusticitatem, siue tenuitatem appelles, nihil impedio. rectè id fiet, si uita sumptuosa, & frugalis in medium producentur detractis uestibus. Nam si eas nudas conspexeris amore comprehendes mehercule uerã regiæ pulchritudinis formam, spreta atque repudiata adulterina. hanc scilicet opulentia & copijs magna ex parte descripsimus, illam uerò ijsdem rebus describere non poterimus, rerum illius descriptio aliunde est petenda. non enim illa diuitijs circunfluit, quippe cum in his cumulandis, studium & operam non ponat suam. mores itaque potius imaginem illius expriment. Et quoniam omne facinus statim conspicitur, cum ipsius uitæ germinibus, quæ naturam ducem sequitur, ideo unius Imperatoris mores & facinus in medium proferre satis fuerit: nam unum exemplum reliqua omnia ad se trahet. Narratur ergo quidam ex non ualde antiquis, sed ex his quos nosse possunt aui eorum, qui nunc sunt ingrauescente ætate, nisi iuuenes admodum cum essent filios susceperint, & à iuuenibus filijs nomen aui acceperint. Narratur inquam, quendam ex illis imperatoribus in Arsacidam exercitum duxisse, qui Romanos iniuria affecerat, is cum limites Armeniorum attigisset, & antequàm hostilem regionem inuaderet cibum capessere uoluit, milítibusque imperauit ut ea omnia absumerent quæ secum ferrent, ut potè qui ex proximis agris, si opus foret, cibaria congesturi essent. & cum hæc loqueretur digito illis ostendebat Parthorum agros. Hoc cum ille ageret ferunt legatos ab hostibus uenisse, qui quidem arbitrabantur debere se primum conuenire eos, qui apud imperatorem gratia plurimum possent, aut eorum familiares quosdam, & internuntios, atque ita exi-

stima-

stimabant se negotium suum apud Imperatorem paruo temporis spatio conficere non posse. at res longe aliter accidit, euenit enim ut in ipsum Imperatorem cænantem inciderent. nondum enim erant prætoriani milites, & ex omni exercitu lectus quidam exercitus, & eximius, ætate florenti omnes, statura proceri, cesarie flaua, & prolixa, unguentis delibuto capite, nitida facie, gestantes clipeos argento, & hastas auro insignes, hos cum uidemus, Imperatorem adesse colligimus, non secus ac ex præeunte splendore Solem: uerùm illo tempore uniuersa phalanx, quæ suum munus tuebatur satellitum erat & Imperatoris, & imperij Ipsi autem Imperatores simplici tum & uictu & habitu utebantur, nec ex ornatu, ac splendido habitu, sed ex animo potius Imperatores dicebantur. bonis internis à multitudine differebant. externis autem similes gregarijs militibus erant, quo in habitu aiunt Carinum à legatis illis conspectum fuisse, puniceà enim erat tunica uestitus, & in gramine sedebat, cœna autem erat illi uile pulmentum ex pisis, & in ipso frustula quædam salsa, ac rancida suillæ carnis. Cum autem legatos conspexisset, dicunt eum neque surexisse, neq; quid quam immutasse, sed illis accersitis dixisse, scire se eos ad se uenisse, se enim Carinum esse, iussitque, ut renuntiarent adolescenti suo regi, nisi illo die ad frugem redire uellet, effecturum se ut propediem conspiceret omnia nemora omniaque arua Carini capite longè nudiora, quæ cum dixisset ferunt eum pileo capiti detracto caput suum illis ostendisse, in quo non plus erat pilorum, quàm in galea eius, quæ prope illum sita erat. quod si uerò esurirent, licere eis unà secum manus in patinam inijcere, sin minus, protinus è castris discederent, eò quòd iam legationem confecissent suam. Cum autem legati ea omnia quæ uiderant, & quæ acceperant suis retulissent, fama est hostium Imperatorem, cœterosque omnes ingenti horrore, ac metu perfusos fuisse. nec iniuria: uidebant enim sibi rem esse cum his uiris, quorum dux Imperator cum esset & caluus, non erubesceret tamen ad appositam patinam conuiuas uocasse: erunt itaque regem illum superbum metu fractum ad Carinum uenisse, & dixisse paratum

se esse

se esse omnia eius imperata facere. Rex ille tiara & regia ueste ornatus, paratus erat ea omnia facere, quæ is, qui uili amiculo tectus erat & pileo, imperasset. Audis præterea, ut opinor, alterum Imperatorem Carino ætate inferiorem: non enim uerisimile est, quemquam esse, quem hoc prætereat: exploratione cum opus esset, in hostium regionem per simulationem, ac speciem legationis penetrasse. Nam illis temporibus munus Imperatorium erat, urbes administrare, exercitus ductare, atque ob id multi imperium reijciebant, & unus ex his, iuuentutem suam omnem in regnando cum traduxisset, tandem laboris impatiens imperio se abdicauit, extremumque tempus ætatis suæ in uita priuata consumpsit. Atque ipsum quoque nomen Regis serò nostram in rempub. reuocatum esse, tibi demonstrabo, nec eo amplius populum Romanũ, ex quo Tarquinios urbe eiecit, esse usum. ex eo enim nos hunc uobis honorem tribuimus, & reges appellamus & scribimus. uos autem siue scientes, siue nõ, siue consuetudini hoc concedentes, arrogantiam istius appellationis repudiare uidemini: nam cum ad ciuitatem aliquam, uel ad hominem priuatum, uel ad præfectum, uel ad principem aliquem barbarum scribitis, nomen regium non usurpatis, sed Imperatorium: est autem nomen Imperatoris, nomen potestatis in exercitu, quam penes est summa potestas. etiam Iphicrates, & Pericles Athenis soluebant Imperatores, nec tamen nomen illud offendebat populum, eum dico, qui omnem potentiam maximo in odio habuit, sed ille ipse suffragijs suis imperium illud decernebat. Erat etiam Athenis magistratus quidã, cui rex nomen erat, exilia munia quædam obibat, referreque rationem cogebatur, quòd scilicet populus illud nomen ludibrio haberet, cum libertate nimis intemperanter uteretur. Verùm Imperator ille apud ipsos, nec solus rerum potiebatur, & erat ipsius tum nomen, tum etiam munus serium ac præclarum. Quis igitur est, qui inficias ire possit, apertum istud argumentum moderati in rep. Romanorum animi esse? Quòd, quamuis unius dominatu omnia teneantur, odio tamen eorum malorum, quæ ex Tyrrannide proficiscuntur, nomen regium parcè

usurpatur.

usurpatur. Vnius enim dominatum inuisum reddit Tyrannis, at regnum maximè illum commendat. quod Plato diuinum ac summum inter mortales bonum nominat. illud uero quod diuinæ naturæ compos est, ille ipse uult omni fastu atque superbia uacare. Non enim Deus in omnium oculis, aut ut præstigiarum magister quidam, sed tacita quadam ratione iustè res humanas gubernat, omnibusq; in rebus paratus est opē ferre eis, qui eiusdem pacis & tranquillitatis participes esse studeant. Talem sanè ego uelim regem esse, hoc est commune quoddam bonum, & ab omni prorsus fastu abhorrere. Quod si Tyranni admirationem sui commouent se se abdēdo ac cum admiratione quadam prodeundo, nemo eis hoc uitio det, quoniam penuria ueræ dignitatis ad simulationem descendere coguntur. in quo enim nihil est frugis, quique hoc bene de se nouit, fieri non potest, ut ille publicum conspectum non fugiat, contemptum cum fugit. At nemo in hodiernum usque diem solem contempsit, cum tamen nullum sit nobis hoc magis familiare spectaculum. sic etiam Rex, si se uerum esse Regem cognoscit, & omnem culpam in publico frequens appareat: nihilo enim minus, uel etiam mehercules magis suspicietur clau dum illum quidem regem, quem Xenophon in toto illo opere in cœlum fert, ludibrio habebant, neque ij quos ducebat, neque per quorum regionem ducebat, neque in quos exercitum ductabat, quamuis in locis maximè publicis frequens esset, & ab omnibus ijs conspiciebatur, quibus cordi erat intueri Spartanorum ducem. qui cum in Asiam parua cum manu transisset, prope hominem illum, quem innumerabiles gentes adorabant regno eiecit, fastum certe ipsius contudit. cum autem à magistratibus illi interdictum esset, ne in Asia bellum gereret, multas ac illustres ex Græcis uictorias reportauit, neque eo alius quisuquàm in prælijs superior fuit, præter illū, à quo uno Agesilaum superari par erat, cum de frugalitate & partimonia contenderent. Epaminundas hic erat, quem ciuitates corona donantes ad epulum uocitabant, ille uerò ibat, nec enim aliter facere licebat ei qui in illa dignitate constitutus, omnes criminis ex-

nis ex-

nis expers eſſe uoluiſſet, & in illis conuiuijs acidum acetum bibebat, ne, ut aiebat ipſe, priuati ſui uirtus in obliuionem unquam ueniret. cum autem adoleſcens quidam Atticus gladij eius manubrium irriſiſſet, quod ex uili ligno factum ac minimè elaboratum eſſet, hoc reſponſum ab eo tulit: Non mehercule cum decernemus manubriũ experieris, ſed aciem ferri, quam quidem tibi culpare non licebit. Quod ſi regum eſt imperare, imperat autem is, qui eos habet in poteſtate quos oportet, ijsque inſtitutis & uiuendi genere utitur, quo neceſſe eſt eum qui regere didicit, uidemusque non peregrinitate & faſtu, ſed moderatione, & temperantia omnia ex omnibus confici. exterminanda certè eſt ex imperio ſuperbia & faſtus, quoniam imperio cum rebus externis & à ſe alienis nihil rei eſſe debet. Atque hinc ſanè oratio noſtra huc proceſſerat. reuocemus igitur & nos orationem noſtram, unde egreſſa eſt, & tu Regem ad priſtinum ſtatum fac ut redducas. Neceſſe eſt enim ſi mores corrigentur, & modeſtia redierit, ſimul etiam cum his priſtinam illam imperij maieſtatem redire, omniaque illa mala quæ cum his pugnant in fugam dari ac tolli. Tu igitur ò Imperator fac ſis iſtius reductionis princeps & auctor, daque operam ut Imperatorem miniſtrum imperij habeamus. nam in eo ſtatu rerum ſumus, in quo nihil eſt loci maiori ſegniciei, nec iam, ita me Deus amet, poſſumus longius pedem conferre, ſumus enim nunc omnes maximo in periculo. Opus habet hic præſens rerum ſtatus, & Dei opti. Max. auxilio, & regis, qui fatum Imperij Romani, quod iam ſatis longum tempus parturit, prius e medio tollat, quàm illud exiſtat. quod ſane fatum, reliquias orationis meæ ſimul perſequens, & regis ſimulachrum abſoluens, quod pulcherrimum effingere cœperam non longe abeſſe demõſtrabo, niſi aliquis prudens & ſtrenuus imperator prohibuerit, atque tu is ſis qui prohibeat, ego, quantum in me eſt, contendam. Deus quidem bonis ſemper & ubique præſtò eſt, ac propitius, nec eos unquam deſertos eſſe ſinit. Vnde ex induſtria in huius temporis ſtatum incidi, relicto illo imperatoris ſimulachro, quod oratione noſtra exprimere ac informare inſtitueramus.

Postulabat Philosophia uti Rex frequens cũ suis militibus uersaretur, nec in thalamis delitesceret; demõstrabat enim beniuolentiam, quæ sola firmissimum præsidium Imperatoris est, quotidiano cõmertio, & usu colligi. Quo igitur cum genere militum philosophus amatór regis uolet, uti Rex corpus exerceat suum, & unà multum sit? Nimirum cum his quos agri, quos urbes, quos deniq́ue uniuersa regio, quæ eius imperio paret, propugnatores dat, & custodes deligit reip. ac legum, sub quibus alti atque instituti sunt. hi enim sunt quos Plato canibus similes esse dicit. Sed neque pastor unquam cum canibus lupos collocabit, etiam si ipsi, catuli quandam cum sublati essent, cicures iam effecti uidebuntur, alioqui illis magno cum periculo gregem cõmittet. nam siquando in canibus imbecillitatem aut ignauiam aliquam animaduerterint, & ipsos canes mediusfidius, & gregem, & pastorem deniq́ue ipsum aggredientur. Neque legislator unquam arma concedet ijs, qui non sunt nati, & educati sub ipsius legibus: nullum enim ab his pignus beniuolentiæ habet est: enim uiri plusquam audacis, uel uatis potius cuiusdam, iuuentutem multam, alibi educatam, suis moribus uiuentem, sua in regione arma tractantem, si uiderit, non extimescere. nam alterum horum statuendum est, aut eos omnes studio sapientiæ deditos esse, aut si hoc non putemus, Tantali saxum tenui filo appensum impendere nostræ reipub. nam tum eam illi externi milites inuadent, quum sibi rem bene cessuram existimabunt. Ac sane iã huius mali uelitationes quædã fiunt, Iamq́ue nonnullæ partes imperij ueluti corporis laborant, cum non possint ea quæ aliena sunt, cum ipso corpore coalescere, & ad harmoniam sanam reduci. Secernenda autem esse, tam à corporibus, quam à ciuitatibus, ea omnia quæ sunt in ijs aliena, & Medici, & Imperatores censent. Exercitum enim non conscribere, qui illis opponi possit, & ueluti illi domestici sint; uacationem militiæ multis concedere, & permittere suos alijs rebus operam dare, Quid obsecro aliud est, quàm in propriam perniciem ruere? cum æquum esset istos Scythas, qui hic arma gestant persequi, & ab ipsa agricultura

propu-

gnatores accerſere, qui eam defenderent, atque tuerentur, ac ſane usque adeo delectus habere, ut & Philoſophis è ſcholis, & artificibus ex officinis, & tabernarijs è tabernis, & populo illo ſocordi de theatris, quibus paſcitur excitato, perſuadeamus tandem omnibus, ut rebus ſerijs prius ſtudere incipiant, quàm ritus in luctum uertatur, neve ſinant ſibi impedimento eſſe ullum genus pudoris, quominus populus Romanus ſuis uiribus nitebatur, & proprijs. Nam ut in familia, ſic etiam in rep. defenſio marium eſt, rerum autem domeſticarum procuratio feminarum. Quomodo igitur ferre poſſumus partes uiriles in noſtra repub. alienas, & externas eſſe? Quomodo uero turpiſſimis in rebus non eſt fortiſſimum imperium, concedere alijs principatum bellicæ gloriæ? atque me ſanè, etiam ſi iſti multas uictorias pro nobis decernendo conſequerentur, harum tamen puderet. Illud quidem cogoſco uideoque, perſpicit enim id quisque mente præditus, ſi illi mares & fœminæ, neque germani, neque ſanguine coniuncti ſint, fore ut illis etiam quàm minima occaſio ſatis ſit, ut armis inſtructi hominum urbanorum ſe dominos eſſe uelint. ac ſanè decernent aliquando imbelles cum ijs qui ſe in armorum certamine exercuerunt. Prius igitur, quàm eo quo res tendit perueniatur, reuocandi nobis ſunt Romanorum animi, & ita aſſuefaciendi, ut ipſi ſuo marte uincere, & poſſint, & uelint, nec omnino ſocietatem ullam cum Barbaris ineant, ſed eos omnes deſpiciant, omnique loco funditus pellant. Primum itaque magiſtratu eijciantur, & procul à curiæ honoribus arceantur, quibus per ſummum dedecus ea obuenerunt, quæ olim apud Romanos habita ſunt, & reipſa fuerunt honeſtiſſima. Nam & nunc Deam Themidem, quæ ſenatui, & illud alterum numen, quod exercitui præſidet obuelare ſe arbitror, cum cernat hominem penula ſcortea indutum ducem eſſe chlamydatorum, & quādo aliquis uilloſam pellem exuens quam geſtabat, togam ſumit, de ſummaq; rerum cum Romano magiſtratu conſultat, prope ipſum conſulem ſedens, longè poſt eum ſedentibus his, quibus iure optimo honos ille debebatur. atq; illi idem ubi paululum è cu

ria egressi fuerint, pelles suas rursum induunt, togamq; Romanam apud suos derident, eo quòd impediat ensis eductionem. Ego uerò cùm multis alijs in rebus, tùm uel maxime in eo hominum nostrorum stultitiam, satis mirari nequeo. Nulla est familia, quæ modo aliquibus diuitijs affluat, cui seruus scytha nō sit, structor, cocus amphorarum gerulus, cuiq; est Scytha. illi etiam pedissequi, qui humiles sellas in humeris gestant, super quibus domini eorum in foro sedeant, scythæ omnes sunt, tanquam illa natio, iam inde a maioribus suis, idonea declarata sit, ad Romanorum seruilia munia obeunda. At Flauos istos, & Euboico more comā alentes, apud eosdem mortales priuatim quidem operam dare, publicè uerò magistratus gerere, insolens spectaculum cum sit, maximam admirationem omnibus meritò mouere debet, & si hoc non est Enigma, aliud quod dici debeat Aenigma, non mehercule uideo. In Gallia quidem Crixus & Spartacus spectante populo Romano, in theatris & spectaculis, uelut piacula quædam, digladiari solebant, at postquàm ij profugissent, & mala quibus afficiebantur ad animum reuocassent suum, bellum quod seruile appellatum est excitauerunt: quo quidem grauius ac periculosius populus Romanus nullum gessit. ad horum enim conatus comprimendos, & consulibus & prætoribus, & Pompeij denique fortuna ipsis opus fuit, cum parum abfuerit, quin urbs funditus deleta sit. At qui illi qui cum Spartaco, & Crixo desciuerant, neque cum illis, neq; inter sese ipsi eiusdem gentis erant, sed communis fortuna, occasionem nacta, concordes ipsos reddiderat. à natura enim ipsa omnes serui dominorum hostes tum uel maximè efficiuntur, cum in spem ueniunt se eos uincere posse. Nùm uerò & apud nos ita se res habet? an non omnino maiorem materiem nos malorum alimus? non enim apud nos duo sunt, neq; obscuri ij, qui seditionem conflare possunt, uerùm exercitus magni, & infesti, nostrisq; seruis sanguine cōiuncti, qui nescio quo infœlici fato in Romanum imperium influxerunt. illi suos duces habent, magnæ authoritatis uiros, non solum apud eos ipsos, sed etiam apud nos, quod malum nostra dedit socordia

nobis,

nobis. Præter eos autem milites quos iam habent, seruos etiam nostros ipsis accessuros existimatore, seruos inquam crudeles, audaces, quique nullum genus sceleris adire dubitabunt, quò se in libertatem uindicent. Hæc itaque munitio nobis demolienda est, & interna causa morbi prius tollenda, quàm se uulnus quod latet patefaciat. in ipso enim principio mala facile tolluntur, at progressione temporis maximè corroborantur. Purganda sunt Imperatori castra, non aliter ac cumulus quidam tritici, unde & speltam secernimus, & alia prope germinantia quæ generoso ac uero tritico nocumento esse possint. Quod si tibi uideor consilium dare, de his quæ facta non ita sint facilia, cogitare debes, & quorum tu Imperator sis, & de quo genere hominum uerba facimus, de eo nimirum quo cum Romani semper secunda prælia fecerunt, ex quo illorum nomen orbi cognitũ est. Cunctos enim Romani, quibus cũ illis res est, manu & consilio longè prætereunt, atq; omnem orbem terrarũ ijdem iam peragrarunt, quemadmodum Deos ait Homerus:

Omnia dum peccata hominum benefactaq; lustrant.

Scythas autem istos, & Herodotus narrat, & nos ipsi cernimus, morbo timiditatis laborare. hi enim sunt qui ubiq; terrarum seruitia explent, quiq; sedem stabilem, & domiciliũ certum nunquàm habuerunt. Hinc prouerbium illud natum est, Schytarum solitudo, eo quod illi semper patriam fugiunt suam. Quos primum Cymerij, uti aiunt ij, qui res priscas memoriæ mandarunt, e sedibus suis eiecerunt, deinde alij quidam, tum mulieres quoque, tum parentes uestri, tum etiam Macedo, à quibus pulsi, partim ad internas, partim etiam in externas regiones abierunt. nec prius hi finem fugæ faciunt quàm ab insequentibus, ad eos qui è regione eorum habitant, fuerint depulsi. Nonnunquam tamen eos, quos nec opinantes adoriuntur aliquantisper perturbãt, ut quondam Assyrios, Medos, & Palestinos. At ne nostra quidem ætate ad nos uenerunt animo bellandi, uerùm supplices, cum rursum suis è sedibus exciti essent. cum autem Romanorum mores, sicuti in supplices decuit, humanissimos, & non arma experti essent genus il-

lud

lud Barbarum eam illis, quàm eos par erat gratiam retulit: nã & inſolens erat factum, & beneficium in ſe collatum non agnoſcebat. quo nomine cum patri tuo, aduerſus ipſos armato, meritas pœnas dediſſent, rurſum ad miſericordiam eius confugiẽtes ſupplices ſe, una cum uxoribus ſuis, ad pedes eius proijciebant: ille uero, qui quidem in bello ſemper ſuperior fuit, miſericordiæ ſolum manus dabat, & ſupplices illos erexit, & belli ſocios aſciuit, & ciuitate donauit, & omnium honorum participes fecit, partem deniq; Romani ſoli, ſceleratis illis hominibus attribuit. Ille inquam uir, animi magnitudine ac generoſitate naturę ad clementiam uſus eſt, ſed Barbari quid ſit uirtus nõ intelligũt: nam propterea quod ſe illis pater tuus placabilem præbuit, nos in hanc uſq; diem derident, non ignari, & quas pœnas meruerant, & quibus honoribus à nobis affecti ſunt. Hæc ſanè iam fama humanitatis noſtræ, etiam uicinis eorum ad nos uiam aperuit. aduentant enim iam ad nos, qui ſumma facilitate præditi ſumus, quidam ſagittarij equeſtres petentes ut ſe humanitate complectamur, illoſq; nobis, utpote longe ſe inferiores, in exemplum proponunt. Atque hoc malum uidetur iam proceſſiſſe ad eam quam uulgò perſuaſionem neceſſitatis uocant. nam philoſophia de uocabulis non laborat, ſed quid ſententiæ ſeruiat quærit, ac nonnũquam etiam illud quod humile eſt, ad rem explicandam aſſumit, modo id perſpicuum & aptum eſſe conſtet. At profectò haud facile eſt, ſemel amiſſam recuperare famam, &,

Sedibus hoſce canes diros expellere noſtris.

Verùm ſi me audies, & difficultas illa facile tolletur, & res erit parui negotij, ſi inquam numerum militum adauxeris, ſi Romanos ad uirtutem excitaueris, ſi legiones domeſticas conſcripſeris. adde amabò illud imperio, quod illi ſua ipſius culpa deeſt, quodque Homerus uiris uirtute præſtantibus attribuit.

Ornat diuinos animi uehementia Reges.

Aduerſus igitur iſtos barbaros animo uehementi atque concitato opus eſt, & mox uel agriculturæ operam iuſſi dabunt, ut olim Meſſenij poſitis armis Lacedæmonijs ſeruitutem ſeruierint,

rint, uel eodem itinere quo uenerunt fugam capessent, & nuntium afferent ijs qui trans alteram ripam Istri incolunt, non amplius esse apud Romanos illam facilitatem, sed ducem hos nunc habere iuuenem quendam, excelsi atque alti animi:

Aerem qui non fontem etiam reprehendere possit.

Atq; hæc dixisse sufficiat de educatione ac bellica institutione imperatoris. nunc autem qualis in toga esse debeat dicamus. Erit quidem bellator Imperator, sed tamen paci uel maximè consulere debebit. ille enim solus pacem potest colere, qui potens est, in eum qui damnum dedit, animaduertere. ac mea quidem sententia ille Imperator pacem optimè seruabit, atq; tuebitur, qui, cum ipse iniuriam facere nolit, prohibere etiam potest, ne ea aliquis suorum afficiatur. Bellum etiam aliquando suscipiet, nam nisi id fecerit, bello ipse lacessetur. est quidem pax multo beatior, quàm sit bellum, quippe cum ob pacem bellum suscipiatur. quare cum pax finis sit belli, meritò etiam bello anteponetur. Præclare itaque se res habebit, cum corpus imperij duabus è rebus constet, armata nimirum & inermi multitudine, si se Imperator utrique parti dediderit. & si ubi à militibus discesserit commertium habuerit cum urbibus & populis, qui ut tutò agros colere, & remp. administrare possint, opera militum iam consequuti sunt. Ita autem cum eis uersabitur, ut ipse eas ciuitates & regiones, quas adire poterit, lustret ac obeat, ad quas autem ciuitates suæ ditionis peruenire non poterit, earum curam geret, ea ratione, quæ illi omnium optima uidebitur. Legationes autem cum alijs in locis magni faciendæ sunt, tum maximè hoc loco: nam earum opera & usu poterit Imperator cognoscere remota nihilominus, quàm propinqua. Neque solo oculorum sensu imperij curam definiet, uerum collapsa instaurabit, quamuis ea nunquam aspectu acceperit, egentibus populis opem feret, à tributis uindicabit eos, qui iam pridem eis uexantur, bellum etiam ueniens depellet, præsens uero pœnitus extinguet, & si qua alia re opus erit, ipse diligenter prouidebit. Hanc utilitatem ex legationibus capiet, quòd diuini numinis instar cuncta audire & cernere poterit.

rit. quibus & facilis ad eum patebit aditus, & ueluti pater aliquis, ſenem ſe ac benignum illis præbebit, ſiue à uicinis, ſiue à remotis populis ueniant. hoc enim uideo ſemper Homerum dicere, de illo ſuo pacifico rege. Primum igitur edicatur, ne milites moleſti ſint ciuibus ac uillarum incolis memores quid labores ipſi eorum cauſa ſuſtinuerint. Nam Imperator ideo bellum gerit, ut ſaluæ ſint ciuium & ruſticanorum hominum facultates, eamque ob cauſam manus cogit. ille enim qui à me externum hoſtem arcet, ipſe autem crudeli ac immani in me eſt animo, nihil mihi differre uidetur à cane, qui eam ob rem lupos quam longiſſimè abigit, ut ipſe per otium gregem dilaniet, quem par erat non dirripere gregem, ſed contentum eſſe cuſtodiæ mercede, nempe lacte ouium, quo ſe explebat. Quare certiſſima tum pax eſt, cum milites ita inſtituti ſunt, ut inermes loco fratrum habeant, neque plus eo accipere contendant, quàm præſcriptum eſt. Neque eſt regium, tributa intolerabilia ciuitatibus imperare. bono enim regi, quam ad rem amabò opus erit multa pecunia? cum neque animo diſſoluto ſumptus faciat, neque moderato uſu omiſſo arrogantiæ ſtudeat, neque iuuenili animo indulgens, ludis ſcenicis ſudorem bonorum impendat, neque ulla neceſſitate adſtringatur bellum frequenter uti gerat: cuius ut quidam Lacedæmonius ait, non eſt aliquod dimenſum pabulum. nam frugi atque modeſto regi nullæ inſidiæ tenduntur, nullus hunc aggredietur, ut oſtendimus. congeſta ergo tanta pecunia, quanta opus eſt ad res neceſſarias comparandas, iam redundantis nullus erit uſus. at illa ſine ulla moleſtia ſuorum confici poterit, ſi & nonnulla quędam, quamuis neceſſaria, remiſerit, & his erit contentus, quæ eorum facultatibus, qui conferunt, reſpondeant. Rex porrò auarus caupone longè turpior eſt, nam hic inopiam rei familiaris ſubleuat, at illius animi prauitas, quid prætendat prorſus non habet. Equidem cum frequenter animo contemplari ſoleo, & prauitates ipſas uitiorum & quales nobis eos, qui illis adſtricti ſunt, efficiant, animaduerto etiam inter priuatos, hoc genus hominum quod pecuniæ cumulandæ deditum

tum est, omnium maximè abiectum, improbum, ac in primis illiberale esse, cuique in sola deprauata repub. locus non omnino ignominiosus sit, quippe cum hi etiam à se ipsis contemnantur, eo quod naturæ uoluntati cogitatio eorum repugnet in eo quod caput est & plurimi. natura enim corpus ad ministerium animi destinauit, res uerò externas ad usum corporis, cui ut posteriori, secundas partes dedit: at isti & animum & corpus cũ tertio copulant. Qui igitur se ipsos ignominia afficiunt, & id quod in eis primas partes tenet in seruitutem dant, hi mediusfidius nihil unquam præclari gerere, nihil cogitare poterunt. quos ego si formicis longe ignobiliores ac magis imprudentes esse dixero, non profectò mentiari. nam hæ tantum solummodò quærunt, quantum satis est: at illi uitam ipsam metiuntur necessario usu quæstus. Quare abigenda est, tam ab Imperatore, quam huic à subditis tetra ista pestis, ut bene bonis imperare possit, & studium uirtutis reuocandum, in quo se & ipse Rex exercebit, & alijs, qui se se excolere uolent, præmia proponet. turpe etenim est, ut dixit quidam, exerceri publicè iaculis, & cœstibus, & coronas imponi ijs, qui palmam tulerunt, non autem exerceri frugalitate & uirtute. Certum equidem est ciuitates, si ita institutum, atque affectum regem habuerint, uitam uicturas priscam illam & auream, in qua & summa penuria omnium rerum malarum futura sit, & ingens ubertas bonarum, potissimumque pietatis. ad quam ducem se alijs præbebit Rex, deumque in exordio unius cuiusque rei inuocabit. est enim profectò iucundissimum, & audire & uidere regem in oculis populi ad cœlum manus tendere, & adorare communem ac eundem cum populo suo Deum, ac sanè uerissimile est Deũ Opt. Max. regis pij cultu ac ueneratione lætari, atque talem regem arcana quadam coniunctione sibi coniungere. Itaque cum sit ipse deo charus, etiam summo amore complectetur suos, & talem se suis præbebit, qualis in eum Deus fuerit. Atque in eiusmodi rege quod quæso officium desiderari poterit? nam ad ea se rursum refert oratio nostra, quæ paulò ante commemorata sunt, Inter regias notas posueramus beneficentiam,

nunc uerò extra illas, dicimus debere præterea esse Regem largitorem bonorum & propitium. hæc igitur ipsa & alia insuper quæ prius attuleramus, quàm recepissemus formam Imperatoris nos expressuros iam in membra conferantur, & simulachrũ compleant. quorum illud erat summum, nè Rex, largitor cum sit bonorum, magis defatigetur benigne faciendo, quàm sol radios suos stirpibus & animantibus impertiendo. non enim ille splendorem emittendo languescit, cum natura ipsius splendorem comprehendat, & sit ipse fons lucis. Ipse igitur Rex, in istud uitæ genus ingressus, omnia illa per se ipsum reget, quæ sunt in ditione illius, eos uerò qui solio suo uicini sunt, quique principem locum inter omnes alios tenent, regia animi instructione, eo loco constituet, quo prosint alijs pro modo potestatis sibi attributę. Atq; hac ratione cura hominum longius procedet, cum plurium manibus tractabitur. Sed tamen nihilominus necesse erit, cum tam amplum imperium sit, ut præsides ad eos mittat, qui longè distant. Deinde summa cum diligentia legendi, & æstimandi erunt illi, qui iudicijs præficiantur. hæc enim est diuina quædam & multiplex prouidentia. Cuncta enim loca, & omnes homines, ac singulas controuersias uelle cognoscere magnæ est circumcursationis, magnæ difficultatis, cui nè Dionysius ille quidem satisfacere potuit, quamuis uni insulæ, neq; ei toti imperaret. At paucorum procuratorum opera multorum curam habere possumus. hanc appellarunt deo conuenientem, & generalem quandam tutelam, quam in sublimi permanentem, atq; ad minimas etiam res respicientem, ne minimæ quidem res fugiunt. hoc genere tutelæ utens Deus, non ipse apud nos subtiliter efficit singula, sed natura, ueluti manu quadam, utitur, in sede sua ipse permanens, & est fons atq; auctor omnium prorsus bonorũ, quippe cum ipse sit causa causarum. atq; hac ratione Imperatori reip. procuratio prosequenda est. Distribuat igitur principatum præsidibus quam fieri potest iustissimis & optimis. Longe enim facilius cognoscet paucos, quàm multos, & citius paucorum delicta aut benefacta animaduertet. Ex optimis itaque, non ex his quibus ampla

res est, ut nunc fit, legantur ij, quibus magistratus mandentur. nam nec his medicis cõmittimus corpus, qui diuitijs affluunt, sed illis qui artis suæ peritissimi habentur. hac sane multò magis is qui magistratum geret legendus est, non locuples, sed gubernandi peritus, si quidem per eum plura uel melioris, uel deterioris status aleam subire debent. Quid enim? si quis ex eo, quod uir nequã esset, opes congessit, dignum nè est amabò huic magistratum committere? an potius homini pauperi illi quidem, sed probo tamen, & iusto quem ideo quod iustus est pauperem esse non pudeat? Ille enim qui opibus circumfluit, magistratu pecunia comparato, nesciet profectò iustitiam colere, atque ius suum unicuique tribuere. nam qui magistratum emit, hunc meo iudicio, non facilè in iniustitiam odium capiet, nec is pecuniã pro nihilo ducet, sed ius pretio potius, quàm æquitate describet. non enim credibile est, hunc toruis oculis aurũ intuiturum, uerùm illud reuerebitur, ac amplectetur, ut cui acceptũ referat, quòd parte diuitiarum impensa rempub. comparauerit, & quòd, uti res aliæ solent, ita ciuitatum gubernationem mercede conduxerit. uidet enim se opera diuitiarum in magistratum uenisse, uidet se suspici, cum ab alia multitudine, tum etiam ab hominibus iustis, ac egentibus. Tu autem fac efficias, ut uirtus in admiratione omnium sit, ac plurimi fiat, quamuis homo pauper ea sit prǽditus. non te latent ullius uiri prudentia, iustitia, ac cœteræ omnes animi uirtutes, etiam si uili tegatur ueste, sed in medium producito hunc, & mandes uirtutem uti publicet suam, quam non decet in obscuro esse, uerum in luce & puluere. Non enim te præterire debet, te in præsentia quidem illos prædicaturum, at qui ad omnem immortalitatem prædicetur eum te fore, quia beati regni specimen posteris præbueris, Quod si ita feceris, propediem cernes fore, ut nonnullos earum diui tiarum, quas tanto cum labore quæsiuerunt, pudeat, nonnullos uero uoluntaria paupertate gloriari. ac ideo in contrarium opiniones dę diuitijs recident, quòd parasse diuitias probro, paupertati uerò studuisse, laudi sit futurũ. Nam cum multa admirãda & præclara Deus Imperatorię maie

ſtati tribuerit, tum nihil eſt, quod magis ſuſpiciendum eſſe putem, quàm quòd illa in animis populi tantam uim habeat. Imperator enim facile mutat opinionem moris, quamuis diuturna conſuetudine & uſu confirmata ſit, quoties apparet contrarijs eum rebus honorem tribuere, atque eas plurimi facere. nam eas res quibus Imperator gaudet, neceſſe eſt ſtatim augeſcere, multorumque ſtudijs coli. Sed quoniam me in hunc locum deduxit oratio, uolo quædam de amoribus meis nota facere. Faxit Deus opt. max. ò Imperator, ut aliquando amore philoſophiæ ac ueræ inſtitutionis capiaris, ex his enim, quæ iam dicta ſunt, perſpicuum eſt, fieri non poſſe, ne non multos riuales, qui magni momenti futuri ſunt, habeas. Nam ea nunc eſt hominum negligentia, ut periculum ſit, ne ſtudia philoſophiæ ita extinguantur, ut ne ſcintilla quidem relinquatur, unde ſi quando quis rurſum ad ea ſe refferre uellet, accendi poſſint. nunc igitur pro philoſophia ſolum hæc uota ſuſcepi? an illa deteriore conditione non erit, etiam ſi apud mortales domicilium habuerit nullum? ſedem enim illa domeſticam habet apud Deum, cum quo quamuis hic ſit, perſepe tamen aliquid rerum agit, & quoties eam deſcendentem non recipit terrena hæc regio, apud patrem remanet, ac tum iure optimo illud nobis decere poſſet; mihi non opus iſto,

Eſt honor, ætherij patris ſed lætor honore.

Verùm res humanæ, ut hæc abeſt, utq; preſens eſt, ita deteriores ſeu meliores, uel prorſus beatæ, aut miſeræ efficiuntur. pro his igitur uota feci, cum de philoſophia feci. atque utinam compos eſſe poſſem uoti mei, cuius Plato compos eſſe non potuit. utinam te uideam in repub. adminiſtranda adhibere philoſophiam. Neque me iam plura de regno optime adminiſtrando diſſerentem quiſquam audiet, uerùm iam tempus eſt ut finem dicendi faciam, uideor enim hoc uno omnia quæ uolebam complexus eſſe. Pollicitus quidem eram, me Imperatoris effigiem tibi oratione expreſſurum: eſt enim oratio umbra rei, quod quidem iam me effeciſſe arbitror; à te uero uiciſſim petij, ut quam ego imaginem oratione, tu factis effingeres, ac

expri-